



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Loca Infesta,|| Hoc est:|| De Infestis,|| Ob Molestantes||
Daemoniorvm Et Defvncto-||rvm Hominvm Spiritvs,
Locis,|| Liber Vnvs.||**

Thyraeus, Petrus

Coloniae Agrippinae, 1598

VD16 T 1247

Cap. XLIX. An ex conditione illorum qui persequentes Spiritus patiuntur, possit deprehendi, sintné Spiritus damnatorum hominum, an saluandorum, qui molestiam afferunt?


[urn:nbn:de:hbz:466:1-61332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61332)

hominum Spiritus; ita mali damnatorum viuentes quosdam sequuntur. Hi quidem vt vexent, & molesti sint, illi verò, non tam vt molestant & vexent; quàm vt rebus suis apud viuentes consulant.

3. Quæ vero cum infecutione & persecutione Spirituum coniuncta sunt, admodum varia sunt, sed quibus Spirituum conditio deprehenditur potissimum, *locâ, Spirituum forma, mala que afferunt & molestandi modus.* De quibus quoniam aliàs multis Capitibus, nunc nihil præterea.

CAP. XLIX.

An ex conditione illorum, qui persequentes quosdam patiuntur Spiritus, deprehendi possit ipsos Spiritus esse damnatorum hominum, an purgandorum.

1.  Vemadmodum ex Spiritibus certos homines insequentibus, & molestantibus colligi nequit Spirituum humanorum inter se discrimen; ita *nec ex conditione hominum, qui hos molestantes Spiritus patiuntur.*
2. Diximus, Capite trigesimo septimo, *duplicis generis distinguere homines, qui patiuntur infestantes Spiritus: alios egregiæ probitatis, alios perditæ salutis. Non necesse est dicamus purgandos esse Spiritus, à quibus boni patiuntur; damnatos, à quibus mali, quia & mali possunt pati, patiunturque à Dæmonibus frequenter.*
3. Quando tamen aliunde constat de Spiritibus, quòd humani sint, *ex conditione, si non bonorum, certè malorum, licet conijcere damnatorum esse Spiritus, qui molestant.*
4. Quomodo verò? Quia *boni & damnatorum & purgandorum Spirituum molestiis expositi sunt. Mali ferè non nisi damnatorum. Vtrumque quia Capite trigesimo septimo abstractum est, repeti hic non debet.*

SYNO

Certorum signorum, ex præcedentibus Capitibus
Collectorum, quæ singulos Spiritus pro-
dant.

Distinxiimus Spiritus humanos à Spiritibus
Dæmoniorum: & humanos ab humanis Ex-
his, qui ex Spiritibus Dæmones sunt: qui hominum
damnatorum: qui purgandorum hominum, potest
quibus utcumque colligere: veruntamen non sine la-
bore atque molestia: qua ut Lectorem subleuemus,
quæ sparsim dicta sunt, incerta Capita concludimus,
& singulorum Spirituum proprias quasi Notas at-
que indicia adscribimus.

CAP. L.

De octo indicijs, quæ magna sunt argumenta infe-
stantium Spirituum Dæmoniorum.

Dæmoniorum Spiritus octo sunt argumenta, quæ singula
non leue; omnia simul iuncta firmum robur habent. Hæc
sunt, forma inconditi soni, oratio, allata mala, obsequia, ioci, loca, & per-
sonæ, quæ molestantes spiritus sustinent.

Forma, siue species, quæ Dæmones prodit, est ab humana
discrepans, qualiscunq; illa sit; in primis verò brutorum animan-
tium, atque insectorum. Vide Caput 26.

Clamores & strepitus inconditi, qui alterum sunt signum, ma-
gnum videntur pro Dæmonibus argumentum; si barbarum ne-
scio quid, & peregrinum referant quoniam quemadmodum à cæ-
teris spiritibus videntur esse alieni, ita magnas ob causas Dæmo-
niorum proprii. Vide Caput 27.

Oratio, si Dæmonium debeat prodere, oportet sit diuinato-
ria, siue indicatiua rerum, quas naturalis hominum cognitio ne-
quit percipere; siue illæ sint præteritæ, siue futuræ, siue præsentis.
Vide Caput 28.